

subsecula non sit; prout docet Covarruvias. loc. cit. n. 28; Abbas, vol. II. consil. 7; Felinus, in c. *Rodolphus. de Rescript.*; Glossa, in l. *Deo nobis. c. de Episc. et Cleric. arg. can. fin. cau. 19. q. 3.* ibi: « Non liceat parentibus liberos, vel liberis parentes ab hæreditate repellere monachos factos; quamvis dum laici fuerint, in causam ingratitude incidierint. » Non desunt, tamen, qui doctrinam hujus n. negant, ex eo, quod Gratianus dictat se hunc textum sumpsisse ex novell. 123. cap. LIX. ubi nihil de hoc invenitur. Verum Covarruvias, et alii defendunt Gratianum ostendendo, quod licet textus citatus non inveniatur in citato cap. LIX. ejus tamen substantia sit in cap. XLI. ejusdem novellæ 123. ut proin in *Decreto Gratiani* error calami, vel typographi irreperit, præsertim cum in citata novell. tantum quadraginta quatuor sint capita.

506. *Frater in casu persone turpis instituta, ob quas causas exheredari possit?* — Quæritur V. Quæ sint causæ exheredandi fratres in casu, quo turpis persona instituta est hæres. Resp. Eas breviter comprehendit in novella 22. cap. XLVII. illis verbis: « Illum solum tanquam ingratum circa fratrem effectum participari hoc lucrum non concedimus, qui mortem voluit fratri, aut criminalem inducere contra eum subscriptionem, aut substantiæ ei præparavit inferre jacturam: ejus enim portio tam ad reliquos fratres, quam ad matrem veniat. » Brevius has causas indicant sequentes versus.

Tres licet ob causas ingratum pellere fratrem,  
Si fratris insidias, perniciemque struat.  
Si scelera pingat, ferro, fatioque pianda,  
Aut si fraternas perdere tentet opes.

## § XVI.

DE JURE DELIBERANDI, DE INVENTARIO, DE PETITIONE, ADITIONE, REPUDIATIONE, ABSTENTIONE, ET RENUNTIATIONE HEREDITATIS.

507. *Jus deliberandi, quid? et quare concedatur?* — Quæritur I. Quid sit, ad quid, et quandiu concedatur jus deliberandi? Resp. I. Jus deliberandi ad propositum est facultas hæredi concessa ad certum tempus differendi resolutionem, an hæreditatem adire velit necne, ac interea inquirendi, quid hæreditas importet, quænam debita extent, onsequenter an utile sit, hæreditatem adire. Communis, arg. tot. tit. ff. et c. *de Jure deli-*

*berandi.* Introduta est a jure hæc facultas ad evitandum omne periculum in additione hæreditatis alias subeundum: cum enim hæres statim ac hæreditatem adit, contrahat obligationem solvendi omnia debita defuncti, etiam hæreditatem excedentia, jura præfam facultatem hæredi concesserunt, ne ignarus hæreditatis, et debitorum defuncti, adeundo hæreditatem periculum damni incurrat. Hinc debet « Prætor hæredi subvenire, eique copiam instrumentorum inspicendorum facere, ut proinde instruere se possit, expediet necne, agnoscere hæreditatem; » prout dicitur l. *Aristo. ff. de Jure delib.* Et quamvis hæc facultas hodie videatur frustranea ob noviter introductum beneficium Inventarii, ut bene advertit l. fin. § 13. et 14. c. eod. Nihilominus

508. *Etiam hodie conceditur petenti.* — Resp. II. Etiam hodie adhuc volenti conceditur jus deliberandi, ita tamen ut princeps non nisi tempus unius anni, magistratus vero novem mensium spatium deliberandi concedere possint. Textus expressus est in cit. l. fin. c. eod. Incipit autem hoc tempus deliberandi primum elapsis novem diebus post mortem illius, de cujus hæreditate agitur. Nam ante hos dies elapsos, utpote tempus ad luctum concessum, nulli licet hæredes defuncti molestare. Authen. *Sed neque. c. de Sepulchro viol.* ibi: « Sed neque ante novem dies ab obitu numerandos ulla prorsus fiat molestia adversus quemlibet ex persona defuncti. Si quæ enim cautio, si quid simile fiat, inutile erit: ex hoc, nullo præjudicio creditori generando. »

509. *Inventarium, quid?* — Quæritur II. Quid, et cujus effectus sit Inventarium? Resp. I. « Inventarium ad propositum est scriptura, in qua res inventæ in hæreditate defuncti describuntur; » prout definit Glossa, in § *Si vero absunt.* Authen. *de Hæredib. et Falcid.* col. 1. Vel, est « legitima bonorum in hæreditate defuncti repertorum annotatio, et in scripturam redactio, » prout eam doctores communiter definiunt, arg. l. fin. c. *de Jure delib.* Dicitur notanter « ad propositum; » quia præter inventarium hæreditatis dantur etiam alia inventaria, quæ fiunt a tutoribus et curatoribus circa res pupillo um vel minorum, de quibus l. *Tutores.* 24. c. *de Administ. tutor.* Item a creditoribus in possessionem creditorum missis, l. *Cum plures.* 15. ff. *de Rebus.* Auth. *Jud. poss.* De quibus hic non agimus.

510. *Et qualia offerat privilegia?* — Resp. II. Inventarium plures, præsertim vero sequentes habet effectus, et commoda. I. Quod hæres conficiens, vel confici curans inventarium, sit immunis ab omni periculo adeundæ hæreditatis, possitque hæreditatem absque ullo suo damno iterum repudiare ut proinde nullo indigeat jure deliberandi, an velit hæreditatem adire necne; cum etiam adeundo extra omne periculum sit, dummodo cum beneficio inventarii adeat, prout clare habetur l. fin. § 2. c. *de Jure delib.* et unanimiter docent doctores, signanter Hun., p. IV. tit. XVII. cap. v; Sichard, ad l. fin. § *Si præsertim.* numer. 4. c. *de Jure delib.*; Fachin., lib. VII. cap. XIII. et alii. Hinc II. Non tenetur creditoribusolvere ultra vires hæreditatis, cit. l. fin. in § 4. et 5. c. *de Jure delib.* III. Potest cuivis creditorum liquido solutionem præstare, nec tenetur examinare, quis ex creditoribus potius aut prius privilegium habeat, cit. l. fin. § 5. c. eod. IV. Potest detrahere Falcidiam a legatis, etsi hæreditas solvendo non sit. Hun., loc. cit.; Tholos., in *Syntag. jur.* lib. XLVI. cap. III, n. 17; Jason, ad cit. l. fin. *Etsi præfatam.* n. 1; Sichard, in eamd. n. 5. arg. cit. l. fin. § 4. V. Potest unum pro alio v. g. rem pro pretio creditori etiam invito solvere, cit. l. fin. § *Sin vero.* c. eod. licet alias juris regula sit, quod unum pro alio, creditori invito solvi nequeat, l. II. § *Mutui datio.* ff. *de Reb. creditis, et si certum petatur.* VI. Quod a creditoribus intra tempus ad confectionem inventarii a jure concessum conveniri, aut molestari non possit, cit. l. fin. § *Donec.* 11. c. eod. Conveniunt in his etiam doctores et statuta Bavaricæ, tit. XLIII. a. 7.

511. *Regulariter loquendo, nemo tenetur facere inventarium.* — Quæritur III. Quinam, et quando teneantur conficere inventarium? Resp. I. Quamvis per se loquendo nullus teneatur, nec cogi possit ad conficiendum inventarium, præsertim, quanto certo constat, quod hæreditas pro omnibus debitis sufficiat, vel hæres sit solvendo, ita ut nulli aliud damni periculum imminet, prout habet communis; eo quod inventarium principaliter introductum sit in favorem hæredum; favore autem et privilegio uti nemo teneatur, l. *Si quis.* 29. c. *de Pactis.* Cui concordant statuta Bavaricæ, tit. XLIII. a. 1. Nihilominus, qui periculum in adeunda hæreditate sæpe occurrens, pœnamque legis evitare vult, inventarium conficere omnino

debet, Tholos., in *Syntag. jur.*, lib. XLVI, cap. III, numer. 12; Hun., loc. cit., cap. 1; Schneidew., in § *Centranis Instit. de Hæredit. qualit. et differ.* n. 12; Hartman, *Pract. Observ.* tit. XLI. observ. 2, n. 12, cum communi aliorum. Ratio patebit ex dicendis infra.

512. *Limitatur in aliquibus.* — Resp. II. Dantur casus, in quibus confectio inventarii necessario fieri debet. Patet inductione. Sic imprimis tenentur ad inventarium tutores, et curatores, casu quo eorum curæ commissi v. g. pupilli, minores, prodigi, furiosi, amentes, etc. hæredes sunt: quod si non faciant, debent non tantum illi, cujus curam gerunt, sed etiam creditoribus ultra vires, hæreditatis satisfacere, si damnum inde exoritur. Hun., loc. cit. n. 13; Sebast. de Montiuil., *de Inventario.* cap. v. n. 43. et communis aliorum. Ratio est, quia omnes, qui præstandarum rationum obligationem habent, ad confectionem inventarii tenentur, arg. l. I. ff. *de Tutel. et rat. distrah.*

513. II. Debet fieri inventarium ab hæredibus, vel eis invitatis, a iudice ex officio, quando periculum est, ne illo omisso cohæredes absentes, creditores, legatarii, aut alii damnum patiantur, prout contingere posset, si præsentibus hæredes hæreditatem interea distraherent, partem occultarent, vel dilapidarent, vel tam pauperes essent, ut restitutionem lege debitam facere non possent, etc. Molina, disp. 219; Hun., loc. cit. et communis aliorum, arg. cit. l. fin. c. *de Jure delib.* et novella, 1. cap. II. § 1. Concordat jus Bavaricæ, tit. XLIII. a. 1. ubi etiam mandat, quod apud rusticos universaliter fieri debeat inventarium.

514. III. Gravati fideicommisso universali tenentur ad inventarium. Molina, disp. 219. citans communem. Hun., loc. cit. cap. 1, n. 22; Peregrin., *de Fideicommissis.* a. 35, n. 25; Tuschus, tom. IV. conclus. 349, n. 20. et communis aliorum, arg. cit. l. fin. c. *de Jure delib.* et novell. 1. cap. II. § 1. Ratio est, quia hoc ipso, quod vi fideicommissi teneatur alteri restituere hæreditatem, inventarium facere debet, nec aliter adeundo hæreditatem dici possit aliquid subtraxisse, aut neglexisse.

515. *Inventarium quando inchoari, et perfici debeat?* — Quæritur IV. Quando, et quomodo fieri possit, ac debeat inventarium? Resp. I. Confectio inventarii intra triginta dies a tempore aditæ hæreditatis inchoari, et cœpta

intra sexaginta dies (si hæreditas præsens si vero absens est intra annum absolvi debet. Textus clarus habetur l. fin. § *Sine autem dubius*, 2. et § *Sine autem a locis*, 3. c. de *Jure delib.* De jure Bavarico confectio Inventarii intra triginta dies a die obsignationis factæ inchoari, et cœpta, quamprimum et quidem uno die, si fieri potest, vel proximis diebus, ad summum autem intra mensem perfici debet, si hæreditas præsens est: si vero absens intra sexaginta dies tit. XLIII. a. 2.

516. *Requisita ad legitimam confectionem inventarii.* — Resp. II. Ad hoc, ut inventarium rite perficiatur, requiritur I. Ut fiat in præsentia notarii publici, ab ipsoque conscribatur. Hun., p. IV. tit. XVII. cap. II. n. 28; Tholosan., in *Syntag. jur.* lib. XLVI. cap. III. n. 10; Schneidewin, ad § *Extraneis*, n. 13. Instit. de *Hæred. qualit.* arg. cit. l. fin. § 2. c. de *Jure delib.* II. Debent adhiberi saltem duo idonei testes. Hun., loc. cit., n. 24; Jason, ad cit. l. fin. n. 4; Sichardus, ad eandem, n. 24; Schneidewin, loc. cit.; Matta, consil. 214. n. 14. et seqq. arg. cit. l. fin. § 2. c. de *Jure delib.* qui testes debent heredem cognoscere. III. Requiritur, ut citentur creditores et legatarii, Hun. et Schneidewin, loc. c. IV. Ut hæres formato prius signo Crucis in principio inventarii propria manu subscribat, simulque fateatur omnia absque dolo, et fraude esse facta, cit. l. fin. § 2. de *Jure delib.* Quod si hæres litterarum est ignarus, specialem adhuc notarium, qui loco illius subscribat, adhibere debet, arg. l. fin. cit. § c. de *Jure delib.* Plura de inventario vide apud legistas. Statuta Bavarie de illo tractant tit. XLIII. ubi a. 3. ex speciali privilegio concedunt, quod moriente nobili, possint nobiles consanguinei absque interventu judicis, et notarii in præsentia testium conficere inventarium, uti et obsignare.

517. *Hæreditatis petitio, quid?* — Quæritur V. Quid sit hæreditatis petitio? Resp. Hæreditatis petitio est actio, qua quis hæreditatem, vel totam vel pro parte petit, seu vindicat ab eo, qui illam pro hærede, aut pro possessore possidet. Calvinus. *¶ Petitio hæreditatis.* arg. l. *Licet animam*, 10. ff. *Hæredit. petit.* et l. XXVII. ff. de *Rei vindicat.* « Pro hærede autem possidet, » qui putat se heredem esse. l. *Pro hærede*, 11. ff. de *Hæred. petit.* Pro « possessore vero possidet, » qui causam suæ possessionis aliam reddere

nequit, quam quia possideo, cit. l. XI. et seq. ff. eod. Uterque tenetur petitione hæreditatis, nam « regulariter definiendum est, » inquit Ulpianus, l. *Regulariter*, 9. ff. eod. « eum demum teneri petitione hæreditatis, qui vel jus pro hærede, vel pro possessore possidet, vel rem hæreditariam. » Cautelam pro advocatis in faciendis libellis quoad petitionem hæreditatis ponit Gailus, lib. I. observ. 68.

518. *Hæreditatis aditio et immixtio, quid?* — Quæritur VI. Quid sit adire hæreditatem, et quomodo aditio hæreditatis fiat? Resp. I. Adire hæreditatem aliud non est, quam se pro hærede declarare, seu hæreditatem amplecti, agnoscere, seu admittere. Ita in re communis. Textus est in l. *Pro hærede*, 20. et l. *Gerit*, 88. ff. de *Acquir. hæred.* Et quamvis solus extraneus proprie « adire hæreditatem, » hæres « suus vero se immiscere hæreditati » dicatur l. *Ei qui se*, ff. eod. et § *Extraneis*. Instit. de *Hæred. qualit. et differ.* juncta l. IV. ff. *Quibus ex causis in possess.* Cujus ratio est, quod hæres *suius*, viventibus adhuc parentibus quodammodo jam sit dominus, l. *In suis*, ff. de *Suis et legit. hæred.* tamen in jure sæpe confunduntur, ita ut « adire hæreditatem, » et « immiscere se eidem » pro eodem sumantur, prout post Sichard., ad Rubr. c. de *Jure delib.* n. 16. bene notat Hunn., p. IV. tit. XVI. de *Aditione hæred.* n. 4.

519. *Hæreditatis aditio quomodo fiat, et fieri præsumatur?* — Resp. II. Aditio hæreditatis variis modis contingere potest, videlicet verbis, factis, aut aliis signis, dummodo tacite vel expresse quis significet, quod se pro hærede declarare, habere, aut gerere velit, l. *Pro hærede*, 20. et l. *Gerit*, 88. ff. de *Acquir. hæred.* Hinc non tantum ille adire hæreditatem dicitur, qui expressis verbis pro hærede se declarat, de quo cit. l. *Gerit*, ff. eod. sed etiam ille, qui actum nonnisi hæredi competentem facit, cit. l. *Pro hærede*, 20. § *Papinianus*, ad finem ff. eod. Hujusmodi actus copiosos enumerant doctores. Præsertim Menochius, lib. IV. præsumpt. 102, ubi vide: idem citato lib. IV. præsumpt. 100, copiose agit, quomodo ex verbis cognoscatur, « adire quem hæreditatem. » Illud universaliter notandum, per actus indifferentes communes, tam hæredi, quam aliis, hæreditatis aditionem non præsumi, nisi alia conjectura concurrat. Hunn., loc. cit.; Tholosan., loc. cit., n. 3; Mantica, de *Conject.*

*ultim. volunt.* l. XII. tit. XII. n. 7; Sichard., ad l. *Potuit*, n. 15. c. de *Jure delib.* cum communi arg. cit. l. *Pro hærede*. § *Papinianus*. ff. de *Acquir. hæred.* Inter hos actus indifferentes etiam reputatur, facere actum religiosum, v. g. sepelire defunctum. Menoch., loc. cit., præsumpt. 101, n. 70; Hunn., loc. cit., cap. II, n. 26; Mantica, et alii.

520. *Hæreditatem adire potest, qui se obligare potest.* — Quæritur VII. Quinam adire hæreditatem possint, et quid requiratur ad hoc, ut rite adeatur? Resp. I. Regula est: « Omnis, qui se obligare potest, etiam adire hæreditatem valet. » Communis. Inferitur ex ea: quod pupillus sine auctoritate tutoris hæreditatem adire non valeat, l. *Potuit*, 5. c. de *Jure delib.* Idem dic de furiosis, mente captis, prodigis, etc. Ratio est, quia obligare se non potest. Potest nihilominus eorum curator, vel tutor eandem adire, l. *Si infanti*, 18. c. de *Jure delib.* ita tamen, ut si pupillus sit infante major, excedens nempe septem annos, tutor sine hujus consensu hæreditatem solus adire non possit. l. V. c. eod.

521. *Dummodo hæreditas ei sit delata, ipseque sit certo hæres.* — Resp. II. Ad hoc, ut hæreditatem adire quis possit, debet ei prius ex testamento, vel ab intestato esse delata hæreditas, ac sufficienter constare, quod adire volens, si certo hæres. Hunn., p. IV. tit. XVI. cap. III; Donell., lib. VII. *Comment.* cap. IV. § *Non satis*; Tholos., in *Syntag. jur.* lib. XLVI. cap. IV. n. 16. et alii, inferentes inde, quod quandiu dubium est, an testamentum subsistat, vel quis sit legitimus hæres ab intestato, aditio hæreditatis valide non fiat.

522. *Aditio hæreditatis habet plures effectus.* I. *Namque transmittit hæreditatem ad hæredes.* — Quæritur VIII. Quosnam pariat effectus Aditio hæreditatis? Resp. Parere plures, præsertim sequentes. I. Quod hæreditatem transmittat ad hæredes hæredis: non adita autem non transmittatur, excepto casu, in quo hæres *suius* nondum adiit hæreditatem, textu expresso l. un. § *In novissimo*, 5. c. de *Caduc. toll.* ibi: « Hæreditatem etenim, nisi fuerit adita, transmitti nec veteres concedebant, ne nos patimur, exceptis liberorum personis. »

523. *Adfert jus et dominium totius hæreditatis.* — Per aditionem hæreditatis acquirit quis jus, et dominium omnium rerum hæreditariam, quas defunctus habuit. Gailus, lib. II. observ. 129; Hunn., p. IV. tit. XVI.

cap. III. n. 16; Matta, consil. 448. n. 4. et seqq.; Sichard., ad l. *Si soror*, 14. n. 1. et seqq. c. de *Jure delib.* cum communi, arg. l. § *Veteres*, et l. *Cum hæredes*, 23. ff. de *Acquir. et amitt. possess.* ibi: « Adita hæreditate omnia jura ad nos transeunt: » etiamsi eorum possessionem actu, et corporaliter nondum acceperit; eo quod aditio hæreditatis solo animo fieri possit, et in nuda voluntate consistat, dummodo de ea sufficienter per signa externa constet. § fin. Instit. de *Hæred. qualit. et differen.* ibi: « Nuda voluntate extraneus hæres fit. »

524. *Non tamen possessionem. Possessio hæreditatis quomodo acquiratur?* — Possessio tamen ipsa, nisi quis eam naturaliter etiam apprehendat, per solam aditionem hæreditatis non acquiritur. Gailus, loc. cit. n. 2; Jason, in l. III. ff. eod. n. 31, et ibidem Zaz., n. 27, cum communi doctorum ff. ad cit. tit. de *Acquir. possess.* Textus expressus, et in cit. l. XXIII. ff. eod. ibi: « Adita hæreditate omnia quidem jura ad nos transeunt: possessio tamen, nisi naturaliter comprehensa, ad nos non pertinet. » Ratio est; quia « possessionem sic aditam a pedum positione l. I. ff. eod. adipiscimur corpore, et animo neque per se animo, neque per se corpore, » ut dicitur l. III. prin. ff. eod. Licet semel acquisita, solo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest. Ex quo colliges malam esse consequentiam: « Sum hæres, adii hæreditatem; ergo sum possessor hæreditatis; » prout bene advertit Gailus, loc. cit. n. 8, ubi insuper cum communi doctorum in lib. II. ff. eod. docet, quod quis per possessionem unius rei hæreditariæ, v. g. fundi in hoc loco, non acquirat aliarum rerum aliis in locis existentium possessionem: tam etsi hoc in aliis casibus, veluti in emptione, etc. fallat, arg. cit. l. I. § *Veteres*, et l. *Prædia*, ff. de *Acquir. possess.*

525. *III. Transfert in heredem omnem obligationem defuncti, etsi vires hæreditatis excedat; si inventarium non fecit.* — III. Adeundo hæreditatem contrahit quis obligationem solvendi omnia debita et obligationes defuncti, omnesque actiones passivas in se recipit, Sichard., ad Rubr. c. de *Jure delib.* et in l. *Si infanti*, prin. c. eod.; Hunn., p. 4. tit. XVI. cap. III. n. 4; Layman, lib. III. tract. V. cap. VI; Tholos., loc. cit. cap. V, n. 5 et 8; Schrader, in tract. *Feud.* p. 3. sect. 3. n. 66, cum communi aliorum, arg. l. fin. c. de *Jure delib.* cum concordantiis: etiamsi vires

hæreditatis excedant, casu quo non fecit inventarium, vel sine beneficio inventarii hæreditatem adiit, ut habet communis l. fin. § *Sin autem. c. de Jure delib. et c. In litteris. 5. de Raptorib.* Ratio est; quia hæres et defunctis fictione juris censentur una persona, l. *Cum a matre. c. de Rei vindic. et l. Quoties c. de Hæred. instit.;* Sichard, ad l. III. n. 4. c. *de Fideicommiss.;* Hunn., loc. cit. cap. III. n. 6. cum communi. Nam « ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet. » L. *Ex qua. 149. ff. de Reg. jur. et, « Non debeo melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo jus in me transiit. »*

526. IV. *Facit hæredem obligatum ad solvenda legata, et adimplendam voluntatem defuncti, salva detractioe Falcidiae ac Trebellianicæ.* — Resp. IV. Post additionem hæreditatis tenetur hæres solvere cuncta legata et fideicommissa, totamque adimplere voluntatem defuncti, ita tamen, ut detrudere possit a legatis Falcidiam, vel a fideicommissis Trebellianicam, si fecit inventarium. De obligatione adimplendi voluntatem defuncti est, communis ac certa l. I. c. *de Sanctis Eccles.* De detractioe Falcidiae et Trebellianicæ patet ex dictis. Dicitur autem notanter, « si fecit inventarium; quia qui sine beneficio inventarii adit hæreditatem, Falcidiam detrudere non potest, textu claro l. fin. c. *de Jure delib.* Utrum autem etiam deductionem Trebellianicæ perdat hæres hæreditatem sine inventario adiens, magna est controversia inter doctores nonnullos ut Hunn., loc. cit. n. 11; Covarr., cap. XVI, § 11, n. 16. *de Testam.;* Clar., § *Testamentum. q. 66.* cum aliis affirmativam tenentibus; aliis vero, ut Gail., lib. II. observ. 134, n. 4. ubi ait sententiam contrariam non observari in praxi, Grass., *de Success. § Trebellianica. q. 7.* per tot.; Fachin., lib. IV, controv. 38. negativam tenentibus; utraque sententia inspectis juris fundamentis ab eisdem allegatis, videtur probabilis.

527. *Repudiatio et abstentio hæreditatis, quid? Hæreditas delata quæ dicitur? —* Quæritur. IV. Quid sit repudiare hæreditatem, et abstinere ab ea: vel quid sit repudiatio hæreditatis, vel abstentio ab ea, et a quo fieri possit? Resp. I. « Repudiare est hæreditatem jam delatam recusare, seu rejicere, vel non admittere. » Communis. Dicitur « hæreditatem delatam: » quia quæ delata nondum est, repudiari non dicitur. »

claro l. § *Decretalis. ff. de Success. eadict.* Dicitur autem « hæreditas delata » alicui, quando mortuo jam illo, de cujus hæreditate quæritur, potest hæreditatem, si vult statim adire et acquirere, vel requirere: uti cum communi docet Molina, disp. 174, n. 20; Calvinus, § *Delata;* Baldus, in l. *Potuit. c. de Jur. delib.;* Torre, *de Pactis success.* lib. II. cap. I. n. 15. arg. l. *Delata. ff. de Verb. signif. et l. I. § Decretalis. ff. de Success. edict.* Hinc hæreditas, vel aliud jus, quod de præsentem, volens adire non potest, nondum dicitur delatum, et ob id hæreditas futura, nondum defuncti, quia nondum delata est, repudiari non dicitur. *Abstinerere fere coincidit cum repudiare, ipsaque abstentio et repudiatio idem significant eosdemque juris effectus habent, solumque in hoc differunt, quod abstinere dicatur hæres necessarius suus; extraneus vero repudiare.* Calvinus, § *Repudiatio, cum communi, arg. § 5 et 6. Instit. de Hæred. qualif. et differ.* sicut supra diximus circa « adire hæreditatem, » et « immiscere se eidem; » quod nempe *adire hæreditatem* dicatur extraneus, *immiscere* vero se eidem dicatur hæres suus: quamvis nonnunquam confundantur, ita ut et hæres suus repudiare hæreditatem dicatur.

528. *Repudiare hæreditatem potest, qui eam acquirere potest.* — Resp. II. Omnis « is potest repudiare hæreditatem, qui et acquirere potest. » ait l. *Is. 18. ff. de Acquir. hæred.* Hinc sicut pupillus (idem dic de furiosis, amentibus, etc.), se solo non potest adire hæreditatem, ita etiam nec repudiare valet, l. *Pupillorum. 5. c. de Repud. vel abstinere. hæred.* ibi: « Pupillorum repudiatio delatæ hæreditatis, sine tutore auctore facta, nihil eis nocet. »

529. *Qui semel hæreditatem adiit, eam repudiare amplius non potest: et e contra.* — Resp. III. Regulariter loquendo, qui semel hæreditatem adiit, eam repudiare amplius non potest: sicut e contra, qui eam repudiavit, illam adire amplius nequit. Communis ac certa. Textus expressus habetur l. *Sicut. 4. c. de Repud. hæred.* ibi: « Sicut major viginti quinque annis, antequam adeat delatam hæreditatem, repudians successionem, post quærere non potest, quæsitam renuntiando nihil agit, sed jus, quod habuit, retinet. »

530. *Limitatur in hærede suo qui repudiatam hæreditatem adhuc adire potest.* — Dicitur notanter « regulariter loquendo; » quia

imitatur conclusio in hærede suo, utpote qui repudiata hæreditatem adhuc adire potest, si nondum alienata est, l. *Si quis suus. 6. c. eod.* ubi etiam tempus determinatur, intra quod hæredi suo hæreditate semel repudiata, eam iterum adire licet: ubi vide, sicut et Jason in dictam l. *Si quis suus, c. eod.*

531. *De repudiatione hæreditatis facta a prælato sine consensu capituli. Remissive.* — Hic etiam examinare solent doctores, an liceat prælato sine consensu capituli, ac aliis juris solemnitatibus repudiare hæreditatem vel legatum Ecclesiæ factum? Verum quia de hac re, tit. X. § 2. jam egimus, lectorem illuc remittimus.

## § XVII.

## DE RENUNTIATIONE HÆREDITATIS: ET JURE ACCRESCENDI.

532. *Renuntiatio hæreditatis, quid? spes futuri juris renuntiari, et in pactum deduci potest.* — Quæritur I. Quid sit renuntiatio hæreditatis? An, et quomodo fieri possit. Resp. I. « Renuntiatio hæreditatis est cessio, seu remissio juris, quod quis ad hæreditatem habet, vel habere potest. » Est in re communis, arg. l. I. c. *de Pactis.* dicitur autem notanter, « vel habere potest, » ut etiam includatur repudiatio futuræ hæreditatis: quia non tantum juri jam quæsito, sed etiam quærendo seu futuro quis renuntiare potest, arg. l. I. c. *de Pactis.* Quamvis enim jus quærendum, ac primo futurum in bonis nostris esse non dicatur, nec valeat de eo dispositio arg. l. *Si filius. 14. et l. Constante. 21. c. de Donationibus,* tamen renuntiari, et in pactum deduci potest spes, quam habemus ad jus futurum, arg. cit. l. I. c. *de Pactis.* et l. *Spem. 3. c. de Donationibus,* juncta l. *Si jactum. 12. ff. de Action. empt.*

533. *Renuntiatio hæreditatis multiplex.* — Resp. II. Renuntiatio hæreditatis varia est, et varie fieri potest. Patet inductione. Alia enim est, et fieri potest super hæreditate patriscentium inter se. Alia super hæreditate Tertii. Renuntiatio hæreditatis Tertii rursus alia est, et geri potest in genere, qua nempe quis renuntiat, omni cuicumque tandem hæreditati, quam unde, unde habere potest. Alia in specie, dum nempe quis renuntiat hæreditati certæ, vel certarum personarum. Insuper alia est, qua quis remittit, vel dimittit

tit hæreditatem actu jam aditam. Alia, qua quis renuntiat hæreditati futuræ nondum delatæ, seu potius spei, et juri incerto, quod quis habet ad futuram hæreditatem alicujus adhuc viventis, uti jam dictum n. præced. Talis foret renuntiatio, qua quis renuntiat hæreditati consanguinei, cui succedendi spem habet. Renuntiatio adhuc alia est, et fieri potest in favorem tertii, vocaturque ab aliis renuntiatio extinctiva, ac etiam translativa, quatenus renuntians in alterum transfert jus, quod ad hæreditatem habet. Alia est, quæ fit simpliciter, et in nullius favorem, qua quis declarat se nolle succedere, quisquis dein succedat. Potest autem fieri renuntiatio vel ex sola ac simplici voluntate solius renuntiantis, absque concursu voluntatis alterius; et hæc propriissime dicitur renuntiatio. Torre, loc. cit., n. 37; Galler., *de Renunt.* lib. I. cap. VIII. n. 6, 7 et 8. Alia, quæ fit cum consensu voluntatis alterius per modum pacti, et conventionis, quæ non differt a priori, nisi quod non possit tam faciliter revocari. Torre, loc. cit.; Galler., loc. cit. cap. III. In præsentem præcipue erit quæstio de renuntiatione hæreditatis futuræ adhuc viventis, eo quod de cæteris vel nulla, vel modica sit difficultas. De quibus tamen videri potest Torre, *de Pactis futuræ successionis.* lib. II. cap. I. et seqq.; Passerinus, in c. *Quamvis de Pactis.* in 6. n. 61. et alii.

534. *Renuntiatio futuræ hæreditatis in genere, vel personæ incertæ valet.* — Quæritur II. An, et quando valida sit renuntiatio præsentem jurata hæreditatis futuræ, alicujus adhuc viventis? Resp. I. Renuntiatio seu pactum circa hæreditatem alicujus adhuc viventis incerti, seu in genere licite et valide fieri potest, etsi fiat in favorem tertii, Molina, disp. 412 et 579; Sanchez, lib. VII. *Moral.* cap. II. n. 31; Layman, lib. III. tract. V. cap. VII. n. 3; Torre, *de Pactis succession.* lib. I. cap. XXVI. n. 4. cum communi aliorum, arg. l. III. ff. *Pro socio.* Ratio est, quia in hujusmodi renuntiatione abest periculum voti captandæ mortis, ob quod alias jura prohibent renuntiationem hæreditatis futuræ hominis adhuc viventis in favorem tertii, arg. l. fin. c. *de Pactis.* Hinc valida erit sequens renuntiatio: « Renuntio et cedo tibi omnem hæreditatem, quæ mihi aliquando a quocunque tandem obventura erit: » huc ipso enim, quod nullius certi hæreditas specificetur, nullius vita ob cupiditatem illius, cujus fit renuntiatio, periculum patitur.